



LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓ IFJÚSÁG SZÁMÁRA

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praeolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megjelenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22. tízszer egy
évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

Die¹ nativitatis¹ Domini Nostri.

Hodie natus est Salvator et Redemptor generis humani. Diem festum agit caelum; ingens angelorum multitudo devolat in terram magna voce cantans: «Gloria in excelsis Deo!» Caelum inflammatur, stellae eius splendent et e radiis fulgentibus velum² argenteum² explicatur³ et in antrum Bethlehem demittitur. Respirat natura, gaudent silva, campus, frutex et frons: natus est dux animarum, Messias hominum: Iesus Christus.

Adventum Salvatoris multa annorum milia antecedebant. Quod tempus quam triste ac lugubre erat! Genus humanum voluptatibus corporis erat subiectum; animi omnium inhumanitate frigidi torpescebant. Tempora minus minusque ferenda fiebant: vitam veram ac sinceram⁴ deesse sibi homines sentiebant. Graves et acerbi

gemitus ad caelum ferebantur. Iamque querela hominum flebilis in desperationem est mutata, cum sanctae illius noctis «Gloria» triumphans totum orbem personuit.

Benignitas et caritas⁵ Domini erga nos profecto magna est. Nam filium dedit nobis unigenitum, qui ipse est vita vera quique nominis sui gloria, comitate⁶ et caritate orbem terrarum implevit. «Re vera Deus misit Eum; Ipse est apostolus noster. Ante Eum longus

ordo prophetarum venerat ad nos, sed multi eorum missionem⁷ subterfugientes⁸ dixerunt: 'Puer sum, noli me mittere'. At ille puer non reluctabatur...⁹ Agnovit Dei voluntatem: recuperandum servandum-



¹ születésnap ² ézüstös fatyol ³ kifejlik ⁴ összinte
⁵ szeretet ⁶ gyöngédség ⁷ küldetés ⁸ kivonja magát
⁹ vonakodik.

Per.
Lat
020



que esse genus humanum.» (O. Prohászka.) Die nativitatis Domini abundant¹⁰ nostra pectora laetitia dulcique gaudio, quia vere natus est Salvator mundi, qui nos e tenebris in lucem revocavit cuiusque ope vitam divinam vivere possumus. Faciamus hoc! Et tunc adveniet regnum Dei et pax aeterna.

Ioannes Jeney.

¹⁰ áradozzék lelkünk.

Peregrinationes et rusticationes Austriacae. (1.)

Scripsit Carolus Ács.

Brumalibus¹ iam diebus in conclave compactus² igni in fornace³ acre⁴ crepitanti⁵ assidens de aestivae peregrinationis voluptatibus somniabam, iam praesentiebam quas mihi Alpinarum nivium, saltuum et vallium lustratio⁶ esset allatura, quamque utile ac salutare⁷ futurum esset post docendi improbos⁸ labores operososque⁹ in sole et puro praealtorum montium aere vires enervatas corporis reficere animoque languenti vitali¹⁰ infundere vigorem; ¹¹ vere vero apper-

tente «iam mens praetrepidans avet vagari, iam laeti studio¹² pedes vigescunt». ¹³ (Catull. XLVI. 7, 8.)

Quas autem hieme praeceperam, deo iuvante cumulationes et prolixiores,¹⁴ quam speraveram, contigerunt voluptates. Mense Maio iam habui statutum cum animo ac deliberatum, ut superiore anno, sic hac aestate cum uxore ac filio iter in Austriam facere omniumque primum cataractas¹⁵ Krimmlenses mihi saepe laudatas visere. Budapestino igitur profecti curru¹⁶ vapore¹⁶ acto¹⁶ Graecium (Graz) advecti sumus. In rebus, quae ibi visendae¹⁷ essent, contemplandis biduo consumpto ad cataractas Krimmlenses per vallem Anisi¹⁸ et fluvii Salzach vecti a. d. V. Non. Jul. pervenimus. Cum serum¹⁹ diei esset, etiam de via fessi ac lassi²⁰ in hospitium²¹ publicum²¹ devertimus.²² Commodum in lectis decubueramus, cum murmure cataractae ex longinquu lentescenti²³ sopiti ob-

¹ téli ² szorulva ³ kályha ⁴ élénken ⁵ pattogó ⁶ kóbólás ⁷ egészséges ⁸ kemény ⁹ fáradáságos ¹⁰ éltető ¹¹ erő ¹² utazási vágy ¹³ erőre kap ¹⁴ teljesebben ¹⁵ vizesés ¹⁶ vonat ¹⁷ nevezetesség ¹⁸ Ens ¹⁹ későre járt az idő ²⁰ elnehezedve ²¹ szálloda ²² megszállni ²³ elhalkuló.



Lingua gulosa¹ et garrula² — damnosa.³

Pullus⁴ gallinaceus⁴ uvas ligurriebat.⁵ Cui vulpes obviam venit dixitque: «Si comiseris clausis oculis, dulciores fore sapies⁶ rascemos». ⁷ Credulus oculos clausit denuo ade- surus,⁸ dum vulpes rostro⁹ ingurgitat¹⁰ ri- ctuque praedam tenens in fugam sese con- fert. Mox, cum in arbustum castanearum intrarit, pullus: «Fac dicas — inquit — ,quam pulchrae castaneae!» Vulpes prae gaudio cap- tae praedae nihil¹¹ suspecta:¹¹ «Quam pul- chrae castaneae» — exclamat. Pullus: «At al- tius succlama: ,Quam pulchrae castaneae!» Iterum illa voce altiore: «Quam pulchrae castaneae!» Hiante¹² clamantis rictu en! pullum alas explicare¹³ et in arborem sub- volare ...

Tum vulpes: «Exsecranda¹⁴ gallina!» sur- sum latrat, «qua suadente garrierim¹⁵ sine causa!» Pullus desuper: «Quinimmo¹⁶ tu, cuius causa dormierim sine somno!»

J. H. Salisburgi.

Tres fratres.

Senex rusticus inquilinus¹⁷ tres filios habe- bat. Eo testamento filiis domum hortumque legavit,¹⁸ ut in domo bona pace unā habi- tarent et maximus natu hortum coleret, me- dius custodiret, minimus fruges in propin- quo oppido venderet.

Tres fratres mortuo patre sine cura atque egestate in bona concordia vixerunt. Sed maximus mox aegritudine¹⁹ captus ita mus- sitavit:²⁰

— Quid? egone sudem,²¹ dum fratres mei otiantur?²²

¹ torkos ² fecsegő, locsogó ³ bajt hozó ⁴ csirke ⁵ torkoskodik ⁶ izűnek találod ⁷ szőlőszem ⁸ csipe- get ⁹ száj ¹⁰ bekap ¹¹ gyanúlanul ¹² kitát ¹³ ki- bont ¹⁴ átkozott ¹⁵ fecseg ¹⁶ söt éppen, söt inkább ¹⁷ béröl ¹⁸ hagyományoz ¹⁹ bú ²⁰ mormog ²¹ izzad ²² henyél.

dormivimus. Mane quiete nocturna refecti et roborati tempestate serena ad cataractas visendas nos contulimus.

Iam procul, qua abites densae atque nigrae rarescentes²⁴ patent, effulgit ex alto decadentium aquarum²⁵ tractus²⁶ sole clarescente²⁷ niveo colore albescens. Atque quo magis appropinquabamus, eo maiore vi et impetu ad aures accidebat cataractae sonitus. Cum vero iuxta astitsemus, ingenti aquarum fragore paene obsurduimus.²⁸ Aquae e rupibus praepetiti²⁹ velocitate desilientes inter saxa exesa³⁰ et diffissa³¹ aestuantur³² et rapido vertice volventes cum deorsum³³ feruntur, per aërem guttatum³⁴ diffusi³⁵ aspergine³⁶ rorant,³⁷ impluunt variisque

— Ne hoc mihi dicas — ait medius; — quid est acerbius, quam noctu nos ipsos fatigare, cum alii dormiunt?

— Sed quid est mordacius³⁸ — clamat minimus, — quam cum hominibus laborare?³⁹

Vobis tantum corpus, mihi etiam animus maceratur.⁴⁰

Ita inter fratres discordia oritur, vere²⁶ hortus manet incultus pro bonis frugibus herbas fert inutiles, poma²⁷ incustodita diripiuntur: in felici domo patris appetere egestas.

Tum senex pagi²⁸ sacerdos visit fratres pessumdatos²⁹ et cum condicionem³⁰ eorum cognovisset, sic eos vituperavit:³¹

— Ubi est, o stulti, in vita aegritudo aut gaudium, malum aut voluptas aequaliter inter homines divisa? Suam perdit felicitatem, qui propriam calamitatem considerans oculos in aliena gaudia coniicit. Tum modo, filii, querimini, si malum vires vestras superat.

Valentinus Fehér.

²³ emésztő ²⁴ vesződik ²⁵ gyötör ²⁶ tavasszal
²⁷ gyümölcs ²⁸ falu ²⁹ tönkrement ³⁰ helyzet
³¹ korhol.



Cataractae Krimmlenses.

arcus³⁷ caelstis³⁷ coloribus coruscant,³⁸ nite- scunt.³⁹

Aquae Krimmlenses oriuntur ex montis 3505 metra alti, in terra Salisburgensi siti, qui Dreiherrenspitze vocatur nivibus et glacie ad 1535 metra altitudinem deve- xis.⁴⁰ Inde cum summa celeritate deferuntur in altitudinem 383 metro- rum, unde per tres gra- dus declives⁴¹ aquarum ingens moles in arcum⁴² sinuata⁴² in profundum cum horrisono⁴³ fragore devoluta fluvium efficit Ache, qui per vallem Krimmlensem praecipi- cursu in alveo saxoso ruens ac sonans in Salzach infunditur. Catarac- tas postquam aliquot dies, ut hoc miraculo naturae

penitus perfrueremur, undique circumivimus, decimo tandem die denuo nos in viam dedimus et deverticulo⁴⁴ facto curru vaporis vi acto iuxta Oenum⁴⁵ vecti in oppidum Kufstein iam dudum visere gestientes⁴⁶ ad- venimus.

Ad numerum proximum.

²⁴ ritkuló ²⁵ vizsáv ²⁶ verőfényes ²⁷ megsiketül
²⁸ száguldó ²⁹ kivájt ³⁰ hasadásos ³¹ kavarogva
³² lefelé ³³ cseppenkint ³⁴ szétfeccsenye ³⁵ esőcsep- pek ³⁶ harmatoz ³⁷ szívárvány ³⁸ csillag ³⁹ tündöklik ⁴⁰ lenyuló ⁴¹ lejtős ⁴² ív alakban ⁴³ borzalmas ⁴⁴ kitérő ⁴⁵ Inn ⁴⁶ óhajt.

EXEMPLA CLARORUM VIRORUM

Veteranus quidam, cum dies ei dicta esset, accessit in publico ad Augustum eumque rogavit, ut sibi adesset. Ille advocatum e comitatu elegit. Veteranus ingenti voce exclamavit: «At ego, Caesar, in Actiaco bello non quae- sivi vicarium, sed ipse pro te pu- gnavi». Et cicatrices¹ detexit. Erubuit Augu- stus venitque in advocationem. *Macrobius.*

Traianus.

(53—117 p. Chr. n.)

Imperium Romanum Traiano imperatore (98 — 117.) maximum fuisse constat. Itaque operaे pretium est paucis exponere, qui vir ille fuerit, qui Hungariae integrae partem orientalem, Transsylvania, Traianis temporibus Daciam nominatam in provinciae Romanae formam rededit.

M. Ulpius Traianus oriundus ex Hispania, Italicae, in urbe a Scipione condita anno LIII. p. Chr. n. natus est. Primus imperatorum Romanorum fuit, cui non Italia locus natalis obvenit.¹ Iam puer admodum patre duce adversus Parthos dimicabat, propter quod Parthica lauro gloriam patris auxisse dicitur. Sub Domitiano ad Rhenum flumen adversus Gallos militabat. At Transrhena-nam regionem ditioni² suae subiicere finesque imperii usque ad Albium flumen exten-dere, — quod ei principio propositum erat, — non contigit ei.³ Nihilominus propter virtutes bellicas omnium animos in se convertit et Nerva imperator successorem⁴ eum adop-tione sibi elegit. Per stipendia cognovit de-cem mores gentium, regionum situs, oppor-tunitates locorum et diversam aquarum caeli-que temperiem,⁵ ut perdiscere posset penitus, quae imperator praecipere deberet. Etiam commilitones penitus cognovit, quos prope omnes nomine appellavit ac singu-lorum fortia facta commemoravit.

Praeterea etiam moderatio Traiani est praedicanda, quod innutritus⁶ bellicis laudi-bus pacem amavit nec ex omni occasione quaesivit triumphos. Bella nec timebat nec provocabat.

Tot tantisque meritis imperator Nerva optimum atque dignissimum elegit, qui sibi in administrando imperio succederet. Nerva mortuo cum civium desideria eum revocas-sent Romam amoremque castrorum super-rasset caritas patriae, adventum eius non pater quisquam, non maritus expavit: *affec-tata⁷ aliis castitas Traiano ingenita et innata fuit.* (Plinius.)

Primo statim adventu sibi Romanorum animum conciliavit: gladio enim praefecto praetorianorum tradito: «En accipe — in-

quit — hunc gladium, quo si iuste imperave-
rim, pro me utaris, sin male, adversus me».

Traiani aetate gloriam Dacorum viresque imperio Romano periculosas fieri coepisse satis notum est. Tacitus Dacos etiam barbaris nationibus formidini fuisse dicit. In libro enim, qui «Germania» inscribitur, haec legimus: «Germania omnis a Gallis Raetis-que et Pannonis Rheno et Danuvio flumi-nibus, a Sarmatis Dacisque metu separatur». Quo metu Dacorum imminentis Romanos ceteraque nationes Traianus liberarat. Da-corum domitor victoria Dacici cognomine ornatus est. Duobus bellis nationem belli-cosam penitus oppressit, quod superbo regi, Decebalo mortis causam fuisse comperimus. Praeter Dacos etiam incolas Mesopotamiae Assyriaque in potestatem suam rededit. Quibus rebus perfectis sub principatu eius imperii Romani fines longissime latissime-que sunt prolati.

Traianus magnus quidem bello, nec mi-nor pace fuit. Vias, pontes, aqueductus in provinciis, Roniae aedificia publica et pul-cherrimas porticus aedificanda curavit. Victo-ria de Decebalo reportata senatus belli me-moriam perpetuam reddidit columna ingenti in foro Traiano exstructa. Columnae Trai-anae belli Dacici victoriaeque Romanae variae scenae insculptae sunt. Quod monu-mentum his quoque temporibus gloriam Traiani nec non Romae veteris ad caelum laudibus effert.

Quaerat quispiam magnus Romanorum im-perator, Traianus quo in Christianos animo fuerit. Cuius rei mentionem Plinius Minor posteritati tradidit. Cum enim Plinius, legatus Ponti et Bithyniae consulari potestate ha-e-sisset,⁸ nomen ipsum Christianum, an fla-gitia nomini cohaerentia puniretur, Traia-nus haec ei rescrispsit: «Conquirendi non sunt; si deferantur⁹ et arguantur, puniendi sunt, ita tamen, ut qui negaverit se Chri-stianum esse idque re¹⁰ ipsa¹⁰ manifestum fecerit, id est supplicando diis nostris, quam-vis suspectus in praeteritum, veniam ex

¹ osztályrészül jut ² hatalom ³ nem sikerül

⁴ utód ⁵ éghajlat ⁶ felnő ⁷ színlelt, erőltetett

⁸ bizonytalankodik, ingadozik ⁹ vádlottként felad, bevádol ¹⁰ tényleg, cselekedettel.

paenitentia¹¹ impetret. Sine auctore vero propositi libelli in nullo crimine locum¹² habere¹³ debent. Nam et pessimi exempli nec nostri saeculi est».¹⁴

Plinius indolem imperatoris, cuius sub principatu minime ulli delatores, sed leges timebantur, hisce verbis expressit: «Traianus summis atque infimis carus sic imperatorem commilitonemque miscuerat, ut studium omnium laboremque et tamquam exactor intenderet et tamquam particeps sociusque relevaret».

Traiano mortuo Romani novum imperatorem his verbis salutavere: «Esto felicior Augusto, melior Traiano!» Traiano sc. vivo cognomen Optimi a senatu inditum est. Quo nomine quid pulchrius posteritati relinquere potuit?

Sebastianus A. Módy.

11 a megbánás folytán 12 érvényesül 13 korunk szellemével össze nem egyeztethető.



Prope oppidum Stratonicen in paeninsula Chalcidice situm abhinc aliquot dies fontes repente exaruerunt.¹ Cuius cladis inexpectatae causa terrae motus est, qui nuper incolis terrorem incussit.

*

Bene meruit de genere humano Germain Gourdon, virgo Francogallica, quae vixdum duodeviginti annos nata machinam invenit, cuius ope homines efficacissime posthac a molestis³ insectorum⁴ examinibus⁵ se defendere valebunt.

Dum enim pater puellae, investigator ille rerum naturalium doctissimus rationes et effectus⁶ radiorum coloris violacei⁷ qui dicuntur explorat, illa, experimentorum particeps sedula,⁸ his radiis papiliones,⁹ culices¹⁰ aliasque insectorum genera quam maxime irritari¹¹ intellexit. Germain Gourdon nunc machinam aequa simplicem ac idoneam, qua

insecta deleri possent, arte sollertissima construxit. Fistulam¹² vitream luce lucidissima complevit, ut culices vi radiorum commoti in fistulam involarent. Alterum vero fistulae os cum machina coniunxit, quae aërem una cum bestiolis in culeum,¹³ machinae adjunctum suxit.¹⁴ Hac ratione in oppido Saintes-Maries-de-la-Mer plurima insectorum milia brevi tempore necata sunt.

Ingentium bellorum cladem aequavit¹⁵ malum, quod nuperime litora Iaponiae devastavit. Venti procellosi varia ac immensa incolis afferebant damna. Multa milia aedium, quae collapsae sunt, iter ventorum ostendunt. Etiam lapsu terrae, excitato¹⁶ procellis multi mortales perierunt.

1 kiszárad, kiapad 2 hathatósan 3 kellemetlen
4 rovar 5 raj 6 hatás 7 ibolya- 8 serény 9 lepke
10 szúnyog 11 ingerel 12 cső 13 tömlő 14 szív 15 felér
16 támaszt.

Oppidum sepultum. (4)

Scripsit: Győző Morvay dr.
In Latinum convertit: Valentinus Fehér.

6. Decius forum describit.

«Decius Pannonus M. Aurelio Pannonio patri salutem.

Quod, uti ex tuis litteris Romae ad me delatis cognovi, tu bona es valetudine, maxime gaudeo.

Res omnes, quas vidi sem, accurate me descriptorum esse pollicitus sum. Quamquam aliquot dies sunt, cum apud Diomedem deversor,¹ tamen hodie modo² cum Publio et Cornelio in oppidum me contuli.

Primum in forum ivimus. Quia ex anno octingentesimo quinto decimo, quo terrae motus³ factus est, locum natalem non vidi, praeter pusilla⁴ etiam forum curae⁴ tibi esse⁵ arbitror, quod ex illo tempore refectum est.⁶

Forum magnum dico, ubi tria ornata delubra, curia,⁷ porticus, basilica,⁸ tribunal,⁹ marmorea signa columnata,¹⁰ arcus, tabernae mensariorum,¹¹ putei sunt et unde Vusuvius

¹ van ² csak ³ földrengés ⁴ apróságok ⁵ érdekel
⁶ újra épül ⁷ városháza ⁸ tőzsde ⁹ bírói emelvény
¹⁰ oszlopos ¹¹ pénzváltó.

conspicitur. Ergo non de foro boario¹² scribam neque de aliis foris, quae nondum viderim.

Forma non est mutata: scis eam esse quadratam.

Nos apud aedem Iovis forum marmoreum ingressi sumus. Ingens in eo multitudo hominum commeabat. Viri consulares una cum familiaribus et clientibus ambulabant. Passim mercatores sermocinabantur.¹³ Circum signa cicarones¹⁴ alea ludebant.¹⁵

Supra duas utrimque porticus est tectum podium,¹⁶ ad quod gradus ferunt. Multi eo ascendunt et inde descendunt; alii forensem commeatum¹⁷ attuentur aut sermonem inter se conferunt, rident, benignius se tractant.¹⁸

Aedes Iovis non est tanta, quanta in Capitolio, sed similis Aquincensi. In cella signum Iovis et ara stant. Huc solis sacricolis¹⁹ intrare licet, ceteri homines in pronaum²⁰ et prostylum²¹ convenient. Templum omne atque etiam opisthodomus²² porticu circumdatur. Huiusmodi templum appellatur Graecorum lingua peripterum, hoc est columnis circumdataum. Aedificium est in basi, quae gradibus ascenditur. Tectum contignum,²³ in quo pulchrae imagines pictae sunt; latera quoque imaginibus ornata sunt. Sub aedificium est cella, ubi tabulae publicae²⁴ atque aerarium²⁵ custodiuntur.

A dextra Iovis arcus stat imaginibus sculptis, a sinistra est porta fornicata.²⁶ Ibi vidi templum imperatoris Augusti, quod duas portas duabus columnis disiunctas habet. In his columnis aquilae imperatoriae videntur. Portae spectant tectam²⁷ porticum, in qua media effigies duodecim deorum in basi duodecim angulorum²⁸ stant; quae a Graecis significibus facta esse dicuntur.

In postico porticus tria sunt cubicula continua²⁹. In medio stant signa imperatoris Augusti et Liviae Augustae et Drusi Caesaris. Maxime mihi placuit signum Augusti, cuius in manu est globus terrae.³⁰ In sinistro cubiculo stat ara, apud eam scannum³¹ lapideum, in quo victimae³² mactantur.³³

In parietibus imagines mythologicae pictae sunt. Praeterea videri possunt alati³⁴ pueri serta nectentes, id est genii, qui asinum molam agitantem³⁵ coronant.

E templo in curiam intravimus. In senaculum³⁶ marmore stratum per amplam porticum introit. Senaculum est locus quadratus imaginibus pulchre exornatus. In postico pariete est recessus³⁷ hemicyclius³⁸, in quo duumviri consulentes³⁹ sedent atque ut iudices civitatis, principes senatus, rerum urbanarum rectores ibi iudicium exercent.

E senaculo fores⁴⁰ in templum Mercurii vicinum ducunt. In loco summo stat ara marmorea, in cuius lateribus caelatum opus⁴¹ insculptum⁴² est, quo sacra Romana representantur. Sacerdos veste velatus sacrificat, puer fert aquam sacram, sacrificola⁴³ taurum tenet. Post sacerdotem tibicines⁴⁴ stant. In reliquis arae lateribus lituus⁴⁵ auguris, acerra,⁴⁶ mantele,⁴⁷ patena,⁴⁸ qua crux⁴⁹ hostiae⁵⁰ excipitur,⁵¹ simpulum,⁵² guttus⁵³ videri possunt. Hae omnes res ad sacra in usu sunt.⁵⁴

Ex hoc templo in porticum Eumachiae venimus; haec in pariete scripta leguntur: «Eumachia, Cereris sacerdos, nomine suo et filii Pietati et Concordiae Augustae Chalcidicum et cryptam⁵⁵ et porticum fecit.»

Chalcidicum appellatur in basilica Romana porticus angularis.⁵⁶ Ut iam te audisse puto, nomen accepit ab oppido Chalcide, ubi prima talis porticus aedificata est.

Porticus est aperta et amplum cavaedium claudit. In eo statuae Concordiae et Eumachiae sunt.

Hic locus ad mercatum⁵⁷ usurpat; aestate in aperta porticu, hieme in tecta crypta venditatur. In editiore ante statuam Concordiae loco plerumque sedet arbiter nundinarum,⁵⁸ qui mercatores rixantes reconciliat.⁵⁹ Mercatores in mensis lapideis pretiosa texta, coria aliasque merces expo-

¹² marhapiac ¹³ beszélget ¹⁴ gyerek ¹⁵ kockáz
¹⁶ karzat ¹⁷ sürgés-forgás ¹⁸ mulatnak ¹⁹ áldozópáp
²⁰ a templom előrészé ²¹ oszlopcsarnok a templom elején ²² a templom hátulsó része ²³ gerendázott
²⁴ városi iratok ²⁵ péntzár ²⁶ boltozatos ²⁷ fedett
²⁸ szög ²⁹ egymás mellett ³⁰ földgömb ³¹ pad ³² áldozati állat ³³ feláldoz ³⁴ szárnyas ³⁵ hajt ³⁶ a tanács ülésterme ³⁷ mélyedés, fülke ³⁸ félkörű ³⁹ tanácskozik
⁴⁰ ajtó ⁴¹ dombormű ⁴² kifarág ⁴³ áldozatszolga ⁴⁴ fuvalás ⁴⁵ görbe bot ⁴⁶ tömjéntartó ⁴⁷ törlökendő ⁴⁸ tál
⁴⁹ vér ⁵⁰ áldozati állat ⁵¹ fel fog ⁵² merítő kanál
⁵³ szüknyakú kancsó ⁵⁴ használják ⁵⁵ házak, templomok mellett ablakos fedett folyosó ⁵⁶ szegletsarnok
⁵⁷ vásárcsarnok ⁵⁸ vásári békébiró ⁵⁹ kibékít.

nunt.⁶⁰ In cavaedio venditores crustulorum⁶¹ et farciminum⁶² magna voce clamitantes commeant.

Adversus Eumachiae porticum a dextra Iovis est Lesche, aperta porticus, quo cives ad sermones conferendos conveniunt ibique res diurnas novasque exagitant,⁶³ modo per iocum, modo serio⁶⁴ sermocinantes. Ibi subrostrani⁶⁵ et mendici dormitant.

Subest carcer, cuius in pariete nulla fenestra videtur.

A Lesche in templum Veneris ornatum intravimus; in eo stat signum Veneris pulcherrimum et ara decora, in qua frumentum, libum,⁶⁶ tus⁶⁷ immolantur.⁶⁸ In porticu templi duodequinquaginta columnae Doricae stant. In parietibus pictae sunt imagines mythologicae. Mihi maxime placuit imago, qua Bacchus adolescens repraesentatur incumbens⁶⁹ in senem Silenus comitem, qui lyram auream pulsat.⁷⁰

Etiam in basilicam, quae est adversum Veneris, intravimus. Basilica est simul curia,⁷¹ iudicium,⁷² emporium.⁷³ Quinque portis introitur. Podium⁷⁴ cenaculatum⁷⁵ columnis Ionicis sustinetur. Extra intraque basilicam porticus sunt. Hic vidi pulcherrimas equestres statuas.

De aedificio quoque, quod est adversum Iovis, dicturus sum, praeter quod nihil aliud est in foro visu dignum. Tres in eo loco stant minora aedificia. Hoc est tribunal. Ante aedificium quadrigae statuaeque sunt, quae Sallustium, M. Lucretium, Decidarium Rufum, nostrum proavum⁷⁶ repraesentant. In hoc tribunali minores iudices sententiam ferunt.⁷⁷

In hoc foro occurrimus Diomedi, qui clientibus comitatus cum duumviris et senatoribus sermocinabatur. In gradibus templi Iovis duo pueri lascivi⁷⁸ luctabantur.⁷⁹ Nonnulli pueri pira⁸⁰ in altum iacta ore excipiebant. Ante templum Augusti cicarones⁸¹ nucibus ludebant: tribus nucibus humi positis quartam ita desuper iniiciebant, ut in ceteris restaret.⁸² In medio foro prope tabernas puer circulum⁸³ baculo agitabat. Ex carcere captivus a lictoribus ad tribunal ducebatur. In Lesche iocus aliquis clare⁸⁴ ridebatur. E porticu Eumachiae magni mercatorum

merces venditantium⁸⁵ clamores exaudiebantur. In tabernis mensarii numos aureos tinniebant.⁸⁶ Ante Veneris merces trutinis⁸⁷ lapideis pendebantur et pondera mercatorum aestimabantur, falsane essent. De podiis familiares inter se salutabant.

Cum horum visorum satietate capti essemus,⁸⁸ me auctore⁸⁹ ad asinos in via prae-stolantes ivinus, ut domum redirem et haec ad te scribebam.

Diomedes avunculus et Livia amita⁹⁰ valent teque valere iubent. Id ego tibi consobri-nique cupimus. Praegestimus videre⁹¹ men-ssem Augustum, quo te venturum esse pro-misi. Vale.»

Datum anno post Romam conditam octingentesimo uno et trigesimo a. d. X. Kal. Apriles.

60 kirak 61 sütemény 62 kolbász 63 megtárgyal 64 ko-molyan 65 csavargó 66 kalács 67 tömjén 68 áldoz 69 támaszkodva 70 penget 71 tanács ház 72 törvény-ház 73 kereskedő hely 74 karzat 75 emeletes 76 ős 77 ítéletet mond 78 pajkos 79 birkózik 80 körte 81 gyerek 82 megáll 83 karika 84 hangosan 85 kinál 86 csenget 87 mérleg 88 betelik 89 indítványomra 90 nagynéni 91 alig várjuk.



Locosa.

Parabola nostrae aetati congrua.

Vir nervosus¹ corpore ac robustus e citro² limone³ perfosso suis palmis⁴ totum omnino sucum guttae tenus expressit. Ubi nihil iam amplius destillare⁵ posse putarat, hoc illis qui ut rerum novarum cupidi intuebantur, certamen proposuit: «Valentior manibus si quis exstat adeo, ut aliquantillum liquoris adhuc elicere possit: centum sestertios accipito.»... Quod cum audisset homunculus tenuis macilentusque⁶ se facturum esse pro-misit... Vix crederes — artificium contra spem omnem successit mirifice... «Tu quidem vicisti» magnus ille; «at enim, quae so, quam artem tu profiteris⁷ quod eiusmodi vales?»... «Exactionem⁷ vectigalium»⁷ respondit.

J. H. Salisb.

¹ izmos ² citrom ³ tenyér ⁴ cseppeg ⁵ sovány
⁶ mi a foglalkozásod? ⁷ adóbehajtás.

«Mansionem»⁸ inquit rusticus erroni,⁹
 «tibi dem? Esto.¹⁰ Licebit tibi in horreo¹¹
 dormire, si istam lignorum¹² struem¹² minutatim¹³ concideris».¹³ Erro ait: «Num tibi
 sufficiet dimidia pars? Scito me insomnio¹⁴
 laborare». C. Ács.


*
*Falce¹⁵ messoria¹⁵ instructus colonus cum
 in agrum discederet, uxorem monuit: «Ci-
 bum¹⁶ vespertinum,¹⁶ velim, parcissimum¹⁷
 nobis appares. Mihi quidem sat erit, si decem
 globos¹⁸ comparabis, modo sint maiusculi,
 quam quos proxime edi.*

8 éjjeli szállás 9 csavargó 10 hát nem bánom
 11 csür 12 rakásfa 13 apróra felvág 14 álmatlanság
 15 kasza 16 vacsora 17 igen takarékos 18 gombóc.

=====



I.



Seriebus directis recte completis libratae eadem vocabula reddent. 1. In cibo ponitur 2. telum, iaculum 3. fluvius Lucaniae 4. mons Romae 5. pallidus 6. officium, praemium 7. animal domesticum.

Rud. et Zoltanus Kancz
 discipuli gymn. Sabariensis.

II.

(Ad saltum equulei.)

	par	men					
Vi	nū	li	ter	ne,	splen		
sa	tur	sa	vo	in	pa		

vi	te	num.	i	cui	num	be	det
----	----	------	---	-----	-----	----	-----

III.

Divide centum in quatuor partes inaequales ita, ut secunda pars triplo maior sit, quam prima et altero tanto maior, quam tertia; si autem secundam ad tertiam addideris, efficietur quarta.

ae ber da de gum li Mors nas Pal pau pe pe pul que quo re res rum sat ta tur.

Ex his syllabis vocabula formentur, quae recte rep rta et disposita sententiam Horatii exhibebunt.

V.


Corporis extremi non magnum corpus adhaesi, Ingenitum¹ dicas: ita pondere nemo gravatur; Una tamen facies² plures habitura figuræ.

1 id est: innatum, non arte insitum 2 gemma faciem habet unam, sed in illa facie exstant multæ figuræ insculptæ.

Solutiones aenigmatum numeri III.

I. Peneus, lupus, opus, Ops, nepos. Peloponnesus. II. Proverbium: *Fici cadunt in os comedentis.*

Aenigmata recte dissolverunt: Clara Behyna, Elisabeth Bógyi, Margarita Gesmay, Mathias Gombos, Helene Kaluza, Rudolphus Kancz, Gabriella Kuhár, Alfonsus Motieska, Marianna Renner, Maria Schuster, Zita Péterffy, Éva Roskoványi, Zoltanus Szerankó, Ludovicus Szép, Georgia Szilvássy, Andreas Tóth, Colomannus Tóth, Julius Vattamány, Magdalena Žarka, Thomas Zetelaky.— Praemium Alfonso Motieska et Andreeae Tóth sorte obvenit.



Clara Behyna: Solutiones aenigmatum numeri 2. tarde misisti, itaque nomen tuum foras dari non potuit. — Lud. Szép: 1. Si aenigmata miseris recte enarrata vel delineata, gaudebo. 2. Praemium st liber quidam de veteribus Romanis conscriptus. 3. E nominibus omnium, qui solutiones miserunt, unum extrahitur (ique præmium adiudicatur). — Jul. Vattamány: Rescribas velim, unde textum sumpseris. Quod de Scipione Nasica et Ennio scripsisti, iam prodit in Iuventute. (Ann. XV., pag. 27.) Aenigmata tua prodibunt, sed vix tempus statuere possum, quia multa aenigmata editionem exspectant. — Lad. Zsiga, Lud. Csizmazia, Margarita Gesmay: Partem opusculorum edemus

=====

Moderator ephemeridis EUGENIUS FRAY DR.

Budapest, I., Verpeléti-út 22., ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: STEPHANUS ACSAY DR., elnök.)